

Acta quaedam Jesu Christi, sub Pilati nomi-  
 ne scripta. Impia in illis &  
 blasphema adversus Jesum Christum plu-  
 rima; & quibus in Christianos odium hau-  
 rirunt in Schola pueri, seque ipsos in da-  
 to à Magistro penso exercerent. Hec per  
 universas latè Imperii Provincias legi in  
 Scholis & vulgari, qua in Urbibus qua in  
 agris jussit Imperator (m); ut nihil tunc  
 frequentius occurreret, quam cantantes  
 recitantesque Christianorum & Jesu Chri-  
 sti opprobria. Sed in Opere indignissimo  
 procedendo tam parum studii tegendo  
 mendacio adhibitum est, ut data con-  
 signaretur Epistola sub quarto Consulatu  
 ejusdem Principis (n), nempe anno Im-  
 perii septimo; quod apertissimum prode-  
 bat mendacium: teste enim Josepho An-  
 tiquit. l. 18. c. 3. missus in Palaestinam cum  
 potestate Pilatus nonnisi anno 12. Tiberii  
 venit.

Ut totam hanc Differtationem conclu-  
 damus, statuendum arbitramur, fieri uti-  
 que potuisse, ut Pilatus pro more cetero-  
 rum Provinciarum Praesidium de rebus om-  
 nibus ad obitum & resurrectionem Jesu  
 Christi spectantibus Imperatorem face-  
 ret certiore; quod vetustissimis & gra-  
 vissimis Authoribus, S. Justino Martyre,  
 Tertulliano, Eusebio Caesariensi asseren-  
 tibus, non inviti credimus.

2. Certum etiam statuimus, ex omnibus  
 à nobis supra laudatis eà de re Scripto-  
 ribus neminem, nisi S. Justinum, Ter-  
 tullianum, & facile Eusebium comperta  
 scripisse: ceteri omnes nonnisi priores  
 illos vel exscripserunt, vel redegerunt in  
 compendium. Facile, inquam, & Eusebius  
 Caesariensis; ille enim nonnisi ex Tertul-  
 liani testimonio rem narrat; & animadver-  
 sione quidem dignum est, Eusebium Acta  
 illa Pilati nequaquam referre, quamquam  
 summi ad historiam illam momenti; nec  
 alioqui ejusmodi scripta incuriosus prae-  
 tereat. Ex quo suspicandi ansa datur, sive  
 nulla tunc Acta extitisse, sive eorum,  
 quae per eam aetatem ferebantur, Eusebii  
 judicio genuina nulla fuisse.

3. Constat pariter, ex Actis Pilati, no-  
 strâ aetate servatis, ne unum quidem su-  
 peresse non apocryphum. Quae refert He-  
 gesippus, Pseudo-Marcellus, Martinus Po-  
 lonus (o), Yvo Carnotensis (p), Sixtus  
 Senensis, alique Recentiores plures, in re  
 singula, & in suppositionis notâ conve-  
 niunt. Quartadecimanorum apud S. Epipha-  
 nium suspiciosa sunt plurimum, sin minus  
 in alio, certè in temporum adscriptione;  
 qua in re Exemplaria sibi non constabant.  
 Cum autem S. Epiphanius alia non reci-  
 taverit, certius & magis assertum de il-  
 lis ferre iudicium non licet. Acta Flo-  
 rentini supra rejecimus. Nihil moramur  
 Pseudo-Evangelium Nicodemi, Relatio-  
 nes Bollandistarum, D. Cotelerii, & D.  
 Fabricii.

4. Si quae Acta aliquo in pretio habe-  
 rentur, hoc facile privilegium asserendum  
 esset Actis, quorum fragmentum servat  
 Tertullianus. Sed plura in illis occurrunt,  
 quae suspicionem sive de sinceritate sua

m Ibid. l. 9. c. 7. p. 352.

n Idem l. 1. c. 9. p. 27.

o Chronic. l. 4. p. 118. p. In excerpt. Chronol.


movent, vel saltem an originalia fuerint  
 relinquunt incertum. Ubique sili Tertul-  
 liani character, in phrasibus illis duris,  
 asperis & Africanis ingeritur. Cum ille  
 verbo Damonia de hominibus excuteret, ca-  
 cor reluminaret... Paralyticos restringe-  
 ret... elementa ipsa famulares compescens  
 procellas, & freta ingrediens... Parum  
 hoc, si non, & Propbeta retro etiam. Ta-  
 men suffusus, multa mortis illius propria  
 ostendit insignia... Nihilominus tamen  
 primores, quorum intererat & seclus di-  
 vulgare, & populum vestigale & popu-  
 larem sibi ad fidem revocare &c. Viti in  
 lectione hujus Scriptoris vel parum exer-  
 citati, statim Tertullianismum intelligent.  
 Praeterea additamenta illa, à Tertulliano  
 in sua relatione apposita, quae sane Pilato  
 non conveniunt, ut illud: Ostendens sese  
 Verbum Dei, id est logon, illud primordia-  
 le primogenitum virtute & ratione comi-  
 tatum, & spiritu instructum, eundem,  
 qui verbo omnia & faceret, & fecisset.

Acta illa Tertulliani revocant gesta om-  
 nia, & potissima Jesu Christi prodigia;  
 quod vix commissum à Pilato credimus,  
 ut ejus viri laudes prosequeretur, quem  
 infami supplicio damnaverat. Licet autem  
 fusiis omnia describant, nusquam tamen  
 occurrit quod in Actis Pilati S. Justinus  
 legerat, nimirum in vestes J. C. sortes  
 missas fuisse. Ad haec, Acta illa Tertul-  
 liani nonnisi post Ascensionem vel etiam post  
 Pentecostem missa leguntur; vix autem  
 persuademur, vel tandi distulisse Pilatum,  
 ut Imperatorem de omnibus faceret certio-  
 rem, vel hominem Paganum tam exactè  
 scire omnia potuisse.

5. Non inviti credimus, Epistolam à Pi-  
 lato ad Principem missam, mature satis  
 vitiatam fuisse, & primos illos viros, cum  
 quibus genuina Epistola ab Imperatoris  
 domesticis communicata fuit, nonnulla  
 adiecit in gratiam Christiana Religio; quibus  
 interpolationibus deinde animad-  
 versis, invidia in scriptum illud crearetur,  
 factumque successu temporis, ut neglectum  
 penitus interiret: quare Eusebius nullam  
 Epistolam satis asseram, & genuinam pos-  
 teritatis memoriâ sat dignam novisse vi-  
 detur. Post eam aetatem contigisse facile  
 potuit, ut vir aliquis simile scripti genus  
 procedendum susciperet, opponendum for-  
 tè supposititiis illis Actis Pilati, Maximini  
 jussu vulgatis.

Si quis velit Authores in hoc argumen-  
 tum scribentes consulere, adeat Baronium,  
 D. Tillemontium (q), ceterosque Ecce-  
 siasticos Historicos, D. Basnagium in suis  
 Exercitationibus in Baronium, Antonium  
 Vandalè in singulari Differtatione de hoc  
 argumento in calce Tractatus de Oraculis,  
 Editionis secundae, quod mihi Scriptum,  
 magno futurum adjumento, videre non con-  
 tigit; D. Tanaquillum Fabrum l. 2. Ep. 12.  
 Casaubonum Exercit. in Baron. 16. n. 154.  
 Ouvenum l. 3. Theol. c. 4. Isaacium Vof-  
 sium de Oraculis Sibyllinis c. 11. Le Moine  
 Varia Sacra pag. 146. D. Fabricium Not.  
 in Acta Pilati pag. 214. &c. & 972. Cod.  
 Apocryph. N.T.

q Not. in S. Petrum 19. pag. 516.



# EPISTOLÆ SECUNDÆ S. PAULI AD THESSALONICENSES PROLEGOMENON.

**A**ltera ad Thessalonicenses  
 Epistola data est Corinthi  
 paulò post priorem, anno  
 52. vel 53. J. C. Argumen-  
 ti in utraque connexio, &  
 res quae in priori illa pro-  
 positæ in secunda hac exponuntur, ac tan-  
 dem nomina Silvani & Timothei in fron-  
 te utriusque legenda, argumento sunt  
 apertissimo, alteram ab altera nec loco di-  
 stitisse nec tempore. Cùm enim Apostolus  
 18. mensium spatium moram Corinthi pro-  
 rogasset, commodè utique de rebus Ec-  
 clesiae Thessalonicensis certior fieri, tum &  
 de rebus de quibus consulebatur à Fide-  
 libus illis, respondere valuisse. Cùm au-  
 tem datis primò literis significasset, maxi-  
 mo se desiderio invisendi illos teneri (a),  
 nec pro voto res successisset, vicarias pro  
 se literas misit.

a 1. Thessal. 2. 17. 18. & 3. 10. Vide Chrysostr. in Thessal. 1. hom. 1. pag. 361.

b Vide var. lect. Mill. ad calcem hujus Epist.

c Proleg. in 1. ad Thessal.

Epistola sub invidioso illo nomine hominis  
 peccati designatus (d). Hujus familia me-  
 tus Christianos homines continuit, ne  
 Epistolam scriptam adversus illam vulga-  
 rent. Cùm verò producere visum est,  
 adornata jam Collectioni Epistolarum  
 Apostoli, quae ad Ecclesias scriptae erant,  
 postrema omnium accessit. Hujus Colle-  
 ctionis veluti alterum volumen conscribent  
 Epistola ad privatos data.

d Sub eo nomine Antichristum intelligunt Commentatores.

Scriptam autem illam censet ad Jaso-  
 nem Judæum, Silvæ & Timothei necessa-  
 rium, tum & ad alios Christianos Judai-  
 zantes, qui è Syria & Palaestina, occasio-  
 ne persecutionis in obitu S. Stephani  
 (e) moræ, Thessalonicam sese recepe-  
 rant. Contendit pariter, alias longè plu-  
 res Epistolas, quam quae hodie supersunt,  
 dedisse Apostolum, è quibus unam inuit  
 illis 2. Thessal. 2. 14. Tenete traditiones,  
 quas didicistis sive per sermonem, sive per  
 epistolam nostram. Hanc autem Epistolam  
 secundam ad Thessalonicenses ceteras om-  
 nes Apostoli ad eos missas praecessisse ex eo  
 tenet [f], quòd in ejus calce moneat Apo-  
 stolus, ut signum seu adscriptionem suam  
 sedulo observent, eumque se tenere mo-  
 rem in omnibus Epistolis suis (g); fru-  
 stra autem moneat viros, ad quos jam an-  
 tea scripisset. Addit Grotius, persuasum  
 habuisse Apostolum, extremam Judicii  
 diem in limine esse, & se etiam superstitio  
 superventuram; respexisse autem C. Cali-  
 gulam, veluti Antichristi praecursorem, &  
 Simonem Magum veluti Antichristum, qui  
 nomen suum & cultum supra omne quòd  
 dicitur Deus, efferret. Epocham hujus Epi-  
 stolae determinat ad annum secundum  
 Caji.

e Act. 8. 4. Confer. 2. Thessal. 2. 12.

f Grot. Prolog. in 2. Thessal. 3. 2. Thessal. 3.

Prolixâ nimis oratione opus esset ad  
 evertendum Grotii systema universum;  
 quam etiam provinciam non infelici suc-  
 cessu occuparunt Scriptores quidam Pro-  
 testantes (h), & hodie, quantum scio,  
 nemo in hanc Grotii sententiam secundum  
 omnes sui partes concedit. Constat autem  
 è Textu hujus secundae Epistolae, appen-  
 dicem esse prioris paulò ante scripta.  
 Demonstratum est autem, priorem illam  
 datam fuisse Corinthi, & sub Claudio  
 tantumdem ergò de altera statuendum  
 est. Vetus Christiana traditio universa  
 agnovit in hoc Apostoli Textu Antichri-  
 stum postremam judicii diem praecursurum;  
 M m m Gro.

h Vide Bochar. Epist. ad D. Sarra. inter Opera, 1. 3. pag. 1044. Edit. Leid. Vi- de & Henric. Morum l. 2. c. 2. Simplicium pag. 7. Usser.

i. 2. Theſſal. 2. 1. k. 2. Theſſal. 2. 7. l. Ibid. 2. 4. m. 2. Theſſal. 2. 3. n. Ibid. ver. 2.

Grotius verò Caligulam agnoſcit & Simonem Magum, mota in Eccleſia perſecutionis Authores, alterum vi, alterum præſtigis, utroſque verò Jerofolymitanæ everſionis, quam nomine diei Domini (i) deſignatam credit, præcurſores. Demonſtravimus in Commentario, Nerone & Simonem Magum typum eſſe, illum hominis peccati, qui myſterium jam operatur iniquitatis (k); alterum verò illius, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus (l). Judæorum verò in Romanos deſectionem exprimere gentes adverſus Romanum Imperium rebellaturas, ſicut & Chriſtianos Jeſu Chriſti & Eccleſiæ excuſſuros jugum (m); ac tandem Romanorum in Judæos bellum, Urbis ac Templi everſionem ſymbolum eſſe divinæ adverſus impios in orbis exitio animadverſionis [n]. Porro typi illi & figuræ tam longè abſunt, ut veritatem tremendi illius Judicii, quod expectamus, extenuent, ut confirmat potiùs ac magis magiſque afferent. Nihil eſt in Religione Chriſtiana magni alicujus momenti, cui inſigni aliquo Veteris Teſtamenti factio Deus non præluſerit. Ita dicitur Oraculorum genera, extremi Judicii veritatem aſſerentia, vaticinia nempe verbalia, & prophetica quadam facta. Verbis probata vaticinia legas in Scriptis Prophetarum, in Evangelio, & in Apoſtolo; prophetica facta ſuppeditat hiſtoria Joſephi, & de Judæorum bello Commentarii. Porro ſyſtema iſtud ſibi prorsus cohæret. Data eſt ſecunda hæc Epistoſta Corinthi, nonnullis à priori ad Theſſalonicenſes menſibus poſterior, anno 52. vel 53. J. C. & Claudii 13. Jerofolymitanæ everſionis tempus magis quàm pro expectatione Theſſalonicenſium diſtabat; neque enim niſi poſt 17. vel 18. ab inde annis impletum eſt. Iniquitatis myſterium operabatur ſub Claudio Nero & Simon Magus, qui deinde impietatem ſuam exeruerunt. Nero in exordio Regni ſui bonus inter op-

timos Principes, ſub obtentu virtutis ſcælera per aliquot annos occultavit. Prodiit tandem, & myſterium iniquitatis Orbi patuit univerſo. Patuit & in Simone Mago (o), homine illo peccati, filio perditionis, qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus; itaut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Sed hunc tandem Dominus interficiet, ait Apoſtolus, ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui (p). Poſt hæc Dominus in furore ſuo veniet, ut judicet eos qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati (q). Hæc in figurâ quidem ſpectanda erant in ipſa Jerofolymitanæ everſione; in re verò imminente, ipſâ tandem die poſtremi Judicii. Hæc potiſſimum præ oculis habebat Apoſtolus in 2. ad Theſſalonicenſes. Animis confirmat dependentes quosdam, quibus terrorem ingeſſerant falſi quidam prioris Epistoſtæ interpretes, aſſerentes in limine eſſe diem Domini, vel fortè aſſingentes illi Epistoſtam, in qua hæc omnia impudentiſſimè obtruderentur. Cùm vivâ voce hæc de re illos antea inſtruxiſſet (r), fuſius de illa agere in priori Epistoſta abſtinuerat (s); ſed ſuo illo ſilentio incommoda plura in gentem proveniſſe intelligens, fuſius & apertius rem totam proſequitur in præſenti. Hortatur, ut quas ab ipſo ſe audierant, doctrinas, & traditiones tenerent (t), ac ſtrenuè perſecutiones, quibus pro veritate exponerentur, ſuſtinerent (u). Acutiùs, quàm in priori Epistoſta, illos corripit, qui otio ſe totos permitterent, alienas in ſe ſuſciperent curas, curioſi, inquieti, ex alienis laboribus potiùs quàm ſuo victum quaerentes (x). Notare homines ejuſmodi jubet, ex illorum conſortio ſe ſubducere, ut ipſi ſibi ſint horrori, ac de melioribus perſuadeantur. Sigillo ſuo Epistoſtam obſignat (y), monens ut diligenter ſigilli ejuſdem figuram obſervent, ut impoſtorum ſub Apoſtoli nomine Epistoſtas obtrudentium fraudes intelligerent.

o. 2. Theſſal. 1. 3. 4. p. Ibid. 2. 8. q. 2. Theſſal. 2. 12. r. 2. Theſſal. 2. 5. s. 1. Theſſal. 5. 1. 2. t. 2. Theſſal. 2. 14. u. 2. Theſſal. 1. 5. 12. x. 2. Theſſal. 3. 6. 15. y. 2. Theſſal. 3. 17. 18.

# DISSERTATIO

## AN S. PAULUS EPHEſI cum beſtiis pugnaverit?

Viri quidam Eccleſiæ Corinthi recens ad fidem converſi, Philoſophiæ Paganæ dogmatum plus nimio tenaces, ut mortuorum reſurrectionem crederent, vix poterant in animum inducere. Plures inde de fidei illo dogmate formabant quaſtiones, argumentorumque plexibus ſimplices quoſcumque Fideles illos implicabant. Certior de his omnibus factus Apoſtolus, reſutandis revincendiſque viris illis audaci-

bus, tranquillum Eccleſiæ ſtatum turbantibus nihil omiſit, non autoritatem, non argumenta è quinque potiſſimum ducta principiis: 1. Jeſus Chriſtus è mortuis, ait idem Apoſtolus, reſurrexit, quod fide certum tenemus; eſt autem ejus reſurrectio noſtræ pariter reſurrectionis pignus, exemplar & argumentum. 2. Si Chriſtus è mortuis nequaquam revixit, nos ergo mendaces teſtes habendi ſumus, vana eſt fides veſtra & in crimine adhuc fordeſcitis. 3. Si nulla nos manet reſurrectio, quicumque

vitâ hæc deceſerunt, nullam habent ſpem reliquam; infelicem planè noſtram ſortem deſporemus oportet; ſi nullâ quàm hujus vitæ ſpe nos conſolamur. 4. Quid fiet de illis, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? 5. Ut quid tandem nos damus in diſcrimina: Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt? Poſtremo hæc Apoſtoli verba argumentum præbent Diſſertationi, neque enim certaminis hujus veritas ſat conſtat, ſilente maximè S. Luca, nihil eorum cæteroqui omittente, quæ S. Paulus Epheſi pro fide Chriſtiana ſuſtinuit; ſilentibus pariter è præſcis Patribus quatuor primorum ſæculorum omnibus, qui Apoſtoli illius geſta omnia traditione accepta ſedulo collegerunt. Negans hoc argumentum adeoque & per ſe imbecille, confirmat maximè pronâ ex ipſa geſtorum S. Pauli leſione concepta idea; neque enim abs re credi potuiſſet, ut quæcumque à Demetrio Argentario Epheſino ac ſociis iniqua in eâ Urbe ſuſtinuit Apoſtolus, hæc ille phraſi certaminis cum beſtiis designaret. Viri enim impotentes, brutales, & impii, quales Argentarii illi, meritò ſibi quidem vindicant, beſtiarum nomen, eâ planè phraſi, qua & Apoſtolus idem ſub emblemate Leonis Nerone cenſuit designandum (a); ſicut & de Cretenſibus effatus eſt: Mala beſtia, ventres pigri (b). S. Ignatius Martyr ad beſtias damnatus, commiſſum ſe dicit manibus decem leopardorum, ut Antiochiâ Romam deduceretur, à quibus anticipati quoddam ſupplicii genus ſubire ſe dicit, prolixumque certamen continuare, ab Urbe nempe Antiochiæ aduſque Romam. Porro certamina illa, beſtiæ, leopardi, nihil designabant aliud, quàm milites Martyris in itinere cuſtodes & deſultores. Ita pariter S. Joannes, & ipſe duoque Jeſus Chriſtus Judæos appellat genimina viperarum (c); ac Prophetæ injuſtos, violentoſque Reges ſuggillant nomine leonum, leopardorum, aquilarum, vulturum; ſicut & impiorum linguæ Pſalmiſtæ phraſi ſovent venenum aſpidum ſub labiis (d). Ne tamen ſententiam iſtam ſequamur, cogunt temporum circumſtantia ac præſcriptæ Chronologiæ leges; quibus inſtruitur, motam Epheſorum Argentariorum in Apoſtolum perſecutionem vertente anno poſt ſcriptam ad Corinthios priorem Epistoſtam contigiſſe, nempe anno 56. Quare Apoſtoli cum beſtiis certamen anno 55. initum eſt, quo ſcilicet anno nullam in Apoſtolum commotam perſecutionem ſub eo verborum emblemate designandam novimus. Eſt igitur ad literam Apoſtoli textus ille explicandus; ſi enim alicujus momenti adverſus hanc opinionem cenſendum eſſet ſilentium S. Luca, ſilet æquè idem Scriptori perſecutionem quancumque ante annum 56. agitatam. Vis proinde hæc negantis argumenti vel in utramque partem valere cenſenda eſt, vel in neutram. Fatemur quidem, Apoſtolum 1. Cor. 15. 30. 31. 32. ubi omnia exponit quæcumque

priori illo anno à ductâ Epheſi morâ ſibi contigerunt, hæc de ſe ſcribere: Ut quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie moror, per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Statimque continuat: Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt? &c. Verum ſi totum percurratur caput 19. Actuum, geſta omnia S. Pauli Epheſi verſantis anno 55. complectens, nihil occurreret, quàm Apoſtolicis laboribus par fructus reſpondens, Dei per illum prodigia, quorum pellectu tractæ undique ad fidem gentes; donec tandem excitatam in ſe Demetrii Argentarii perſecutionem declinare, factâ ab Urbe ſecefſione, Apoſtolum coactus eſt. Cùm itaque S. Paulus in eo Epistoſtæ capite veluti ſupplementum adſciat eorum, quæ in Actis prætermiſſa ſunt, conceptiſque verbis exprimat, luſtam ſe cum beſtiis Epheſi ſuſtinuiſſe; cur teſtimonium ejus ad literam non recipiatur, nihil eſt. Porro Textus iſte pronus eſt ad eam hanc ſignificationem, ut in alium ſenſum detorqueere illum nemini ſuccurriſſet, niſi eâ invaleſcente perſuaſione, S. Lucam nihil è geſtis Apoſtoli majoris momenti prætermiſſiſſe; quod tamen veritati prorsus non congruit. Ipſe enim Apoſtolus plura in Epistoſtis ſuis identidem de ſe commemorat, quæ S. Lucas imprudens omiſerat; nolente Deo divinæ providentiæ ſuæ conſilio, ut ab alio illa quàm ab ipſomet Apoſtoli reſcirem. Ita e. g. de raptu S. Pauli in Cælum nihil habet S. Lucas; ſed teſtimonium de illo exhibet Apoſtolus 2. Cor. 12. 2. 3. 4. ſicut etiam nonniſi ipſo de ſe narrante ſcimus, obitas ab ipſo prædicatione Pontum, Thraciam, Illyricum, & Galiliam (e). Quis reprehentum à S. Paulo Petrum Antiochiæ, niſi ipſe Paulus Galat. 2. 11. commemorat? quis ſecundum ejuſdem Pauli iter Epheſo Antiochiam circa ann. 55. niſi idem Paulus ſubobſcurè 1. Cor. 12. 14. & 13. 1. (f)? quis memorat alius ſcriptas ab ipſo varias ad varias Eccleſiæ Epistoſtas; traductum ad fidem Oneſimum, cùm ipſe Paulus Romæ in vinculis verſaretur, datas circa idem tempus literas ad Philemonem & ad Philppenſes; naufragium illud ingens, quo integrâ nocte dieque in mare jaçtus eſt (g); tria illa naufragia quæ pertulit (h); flagra quinque à Judæis tolerata (i)? Nihil ergò è S. Luca ſilentio certi adverſus hanc hiſtoriam deducitur. Quare literam Textus ſtorem retinendam, in loco maximè, ubi ſtilus ſimplex nihil minùs quàm metaphoram audacem ad eam & inſuetam expectare Lectores admonet. Quid enim audacius quàm nomine pugne cum beſtiis designare luſtam cum adverſariis? At enim S. Paulus ſilet prorsus hanc cum beſtiis Epheſinis luſtam in ſecunda ad Corinthios Epistoſta, mala omnia enumerans, quæ pro fide tolerare coactus eſt. Id quidem ultrà fatemur; ſed numquid non ſatis eſt ſemel de illa in priori ad Corinthios 15. 5. 10. feciſſe ſermonem? Numquid modeſtiſſimus vir hanc virtuti ſuæ vim inferre cogebatur, ut iterum decora illa

a. 2. Timot. 4. 17. Liberatus ſum de ore leonum. b. Tit. 1. 12. c. Matth. 3. 7. d. Pſal. 13. 3. & 139. 4. &c.

e. Rom. 15. 19. f. Vide D. Tillemont. not. 41. in S. Paulum. g. 2. Cor. 11. 25. h. 2. Cor. 11. 25. i. 2. Cor. 11. 24.